

SERENISSIMO, AC POTENTISSIMO POLONIAE, SVECIAEQVE ETC. REGI

IOANNI CASIMIRO

Stanislaus Andreas Lubienius fel.







N Suo dignatum alloquio ità Te hac nostra ætate, vt vetusto quondam æuo Iosue faustis, ingentibusque promissis Deus erexerit, Poloniæ, Sueciæque &c. Rex inuictissime CASIMIRE: illaque Tibi dicta oraculo diuinæ vocis audieris, *Omnem locum, quem calcauerit vestigium pedis vestri, vobis tradam: Nullus poterit vobis resistere omnibus diebus vitæ Tuæ: Sicut fui cum Moyse, ità ero Tecum: Confortare, & esto robustus*: Id, inquam, actum ne Tecum, dictumq; Tibi sit, an non, neq; Tua effari, neq; nostra quicquam interest sciscitari, vel scire. Cum videatis ab omnibus consecutas res à Deo largiter obtinuisse cum Iosue, non est cur quenquam factæ Tibi à Deo præuiæ sponsionis cura sollicitet. Inclyta quippe, & inau- Iosu. cap. 1.

inaudita propemodum hactenus fama cum per terras omnes longè, latèque circumferat; Plures à Te victorias numerari, quàm prælia: Tuorum hostium Prouincias, & Regna Tuis armis non more fluminum allui, sed torrentis instar obrui simul, & rapi: Roxolanorum velitum transfugam leuitatem, ipsorum quà fuga, quà cæde, compressam, & domitam: Auxiliares illorum Scythas, incertæ, vagæque gentis profligata barbarie, per vim Tuas in partes, fœderaque pertractos: Consternationem, & cladem in Luthericum grassatorem Suecum, ingenti cum ipsius luctu, ac funere cumulatè refusam: Caluinianum inuasorem Pannonem Tua præsentia coactum citiùs illa reuomere, quæ, Te absente, properanter exsorbserat: Gordium Tui militis rebellantis nodum, non gladio vltionis læuo dissectum, sed dexteræ Tuæ virtutis manu solutum: Moschum, vbi spontè, vbi per vim, ità Tibi, Tuisque cedentē, vt certare Tecum videatur, an Tu plus illum vincere, an à Te possit ille plus vinci; Gentis eius inconditæ cæsorum cadaueribus congestas Vrbes, contectos agros, flumina retardata: Tot vastissimi eius Imperii Villas, Pagos, Oppida, Vrbes, tractusque terrarum ingentes Tuæ iam ditioni subiectos, se seque in dies turmatim, ac properè subiicientes: Tumidum aliàs, insolenterque ferocem Principem tanto nunc Tui terrore perculsum, vt iacturæ suæ tantæ quasi vel immemor, vel contemptor, nec præterita vulnera, grauissima licet, aut deflens, aut sentiens, quia nempè futura iam prouidens, & formidans extrema, pacem à Te enixis, infimisque precibus, & votis efflagitet: Tuam proinde coniunctam cum felicitate Virtutem terrori hostibus, amori Tuis, ab vtrisque magno habitam, acclamatamque miraculo: Cum hæc, inquam, tanta, tàm excelsa, tàm Heroica, & Tu inuictus agas; & à Te acta cum Tui nominis clara, celebrataque gloria in ore sint omnium; an non hoc est, locum omnem

obti-

obtinere, quem calcas? Ità nunc, Te Regnante, Polonis, vt olim, viuente Iosue, Israeli, nullum posse resistere? Adesse Tibi semper, vt Moysi, præsentem Deum? Tuique animi, si minus corporis auribus diuinas illas, animosasque voces fortiter insonare, *Confortare, & esto robustus*? At hoc Dei Vicarius idem, & Interpres ALEXANDER VII. audiente, plaudenteq; Roma, publicè in Templo Tibi tunc visus est dicere, cum illic semel, iterumque actis Deo gratiis, Tibi, & Pontificis optimi, & amantissimi Parentis affectu gratulatus Victorias est Tuas ne dicam, an Dei? Et Dei dicam, & Tuas. Neque enim diuidis cum Deo Victorias, qui & bellorum causas, & militiæ Tuæ signa habes cum Deo communia; quando non hostes alios recenses ipse, quàm Deus, stipendiarios nempè calones Hæresum, Superstitionis, & Schismatum. Quis porrò nunc Te, Polone Iosue, nunquam à Deo dimitti, ac derelinqui miretur, à cuius, vt ab illius Hebræi Iosue Iof. c.1. ore nunquàm diuinæ legis volumen recedit; sed, vt imperatum illi fuerat, sic & Tu meditaris in eo diebus, ac noctibus, vt facias omnia, quæ scripta sunt in eo? Polonia Te, Regiusque Sanguis generosum, ac fortem, Tua pietas, CASIMIRE, Te facit inuictum. Huius diuina vi, manuque criminum iugulum primo loco, ac destinatò cum petas, tot, tantasque certas obtines, obtinebisque semper, sponsore scilicet, & auctore Deo, victorias. Quod à Te & clarè intelligi, & indubiè credi tunc, Rex inuictissime, confessus es palàm, cum in publica diuinæ Eucharistiæ pompa, inter supplices, Regali pietate procedens, stratam captis à Te multis centenis hostium vexillis viam calcari quidem à gestante diuinam Frugem Antistite voluisti; sed cum proximus Ipse subires, attolli eadem vexilla, ne Tu super graderere, iussisti: piè, sanctèque pronuncians, Tantas de tantis hostibus Victorias Dei virtute, manuque partas esse, non Tua: à diuino proinde Ferculo, non Tuis à plantis substrata hostium calcanda esse vexilla. Qua-

re tam gratus, animique profusus in Deum, quas gratias, quæ beneficia ab illius tam prona, promptaque largitate non capias? Cuius profectò præsentissimum Numen sub ipsa capessiti à Te Regni primordia, Tibi prodesse voluit, vel aduersis. Si enim in Te Tuis destitutum præsidiis impetu præcipiti irruêre furiosus vterque Gustauus, & Ragocius: Si Regno propè exutus visus es inter saltus, & nemora exulare: hoc eo factum est diuinæ Sapientiæ consilio, vt in vtraque fortuna, qualis, quantusque esses, vtriusque magno, fortique periculo, omnibus approbares: Et quàm nunc moderato fers animo gloriam tantam, successusque tàm prosperos; tàm constanti, obfirmatoque pectore grauia illa, prementiaque perferres: mentemque Tuam dignissimis ijs Christiano, inuictoque Rege vocibus, audientibus sæpè tuis, mirantibusque proferres: *Fiat voluntas Dei, Qui contristat hodie, consolabitur cras.* Factum est, vt Poloni Dynastæ ab insolente Victore tantam Poloniam occupante despecti, suo statim experimento condiscerent, quid interfit CASIMIRVM inter, & Gustauum, inter Principem, & Tyrannum: Tu verò ad Tui memoriam, gloriamque perpetuam, quod aliena culpa perdideras, Tua virtute recuperares: auctoque etiam Regno, Maioribus Tuis major, supra ipsorum gloriam augustam licet, & excelsam, altiùs, augustiùsque meritò triumphares. Io, triumphe, Regum inuictissime, CASIMIRE: cum gratulante, plaudenteque Tibi Christiana Rep: & animo, & voce festè, faustèque nunc accino, Io, triumphe. Et Regiæ Tuæ Maiestati antiquis familiæ meæ nominibus arctissimè, æternùmque deuinctus, & recentibus adhuc, tùm mei Genitoris, quem ad Regalia Comitia pro Te ad potentissimum Polonici Regni Solium euehendo dignatus es singulari beneuolentiæ Tuæ significatione legatum eligere: tùm Auunculi mei Matthiæ Lubienij Gnesnensis Archiepiscopi, cui auspicatissimum illud contigit, & augustum, vt Te, Serenissimamque Tuam Coniugem in Poloniæ,

Suc-

Sueciæque Regem, Reginamque sacro Chrismate consecraret; propriis etiam obsequii mei vinculis tenaciùs Tibi obstringi ambitiosè percupiens, nisi Tu graueris (quod pro Tua, vt spero, plus quàm Regia humanitate non facies) vtramque lauream Philosophiæ, ac Theologiæ dum induo, Serenissima Tua, faustissimaque semper auspicia adesse mihi venerabundus ex animo, imèque pronus expostulo. Musicos adeò inter concentus, tenerioribus à Musis, musici leporis gratia, Italici, vernaculique Rhythmi deliciis sæpiùs emollitis, Tuum nomen, Tuamque gloriam, assentiente, gestienteque Roma, & in terris ingeminari dulciter, & canorè efferri ad sidera patieris: Polonique Iosue, hoc est Tuas, CASIMIRE, publica cum gratulatione decantari Victorias, quando communi Christianæ Reip: bono Tu vincis, qui Schismate, Perfidia, Hæresique constratis, tua virtute, ac Sapientia, Religioni vincis, ac Deo.





Imprimatur.

Si videbitur Reuerendissimo Patri Magistr. Sacri Palatii Apostolici.

O. Archiep. Patracen. Vicesg.



Imprimatur.

Fr. Hyacinthus Libellus Sacri Palatii Apostolici Promagister.



POLONVS IOSVE RELIGIONIS ARDORE HÆRESIS ANGVES INCENDIT.



MELOS PRIMVM.

Religio: *Hæresis*.

Chorus Religionis: *Chorus Hæresis*.



In adpictâ Theologicis Thesibus Symboli amplioris imagine, igneum gladium Religio stringit in Hæresim anguibus capillatâ.

Chor. Rel. FLamma, flamma crispisulca,
Cuspidata flamma fulgurat.
Flamma Iosue Poloni
CASIMIRI flamma fulminat.
Relligionis fulgidus ense,
Relligionis feruidus igne
Criminis angues, Hæresis hydros
Fulgure stringit, fulmine sternit
Terris faustus, Cæloque bonus,
Inuictus armis Iosue Polonus.
Ch: Hær: Lustra, lustra viperarum,
Aspidumque lustra sibilent.
Hæresumque criminumque
Virulenta turba confremat.
Ore minaci, dente voraci,
Spargite tabem, figite morsus,
Iaculi, colubri, dypsades, hydri,
Relligioni vulnera ferte,
Polono Iosue spargite virus;
Vexat Relligio vos, & CASIMIRVS.
Ch. Rel. Age vindex, age victor
CASIMIRE tutor ætheris,
CASIMIRE miles Numinis:

Tibi crispat arma Cælum,
Tibi Numen arma cuspidat:
Da cruentis, da nefastis
Hæresis excidium colubris, scelerumque cerastis.

Ch.Hær. Age frendens, age mordens
Fœderata turba criminum,
Famulare vulgus Hæresis;
Tibi peste colla turgent,
Tibi virus ore germinat.
Misce Regis, morde castra,
Anguibus & laceri pereant CASIMIRVS, & astra.

Ch.Rel. Age, sume, CASIMIRE,
Crispisulcum sume telum:
Iusta forti præbet iræ
Arma Numen, arma Cælum.

Ch.Hær. Stringat arma CASIMIRVS;
Stricta crimen arma sperne.
Fige morsus, funde virus
Ditis anguis, hydra Lernæ.

P exCh:Hær. Tartara vexâtê CASIMIRVM deuouet Orcus,
In caput erectos furiatus & incitat angues;
Incitat infernæ monstra, metumque domus.

Hæresis. Noctis atræ vulgus atrox,
Turba pestilens Erinnyes,
Cui cruenta de colubris
Fronte torua sylua germinat;
Turbidoque pasta Ditis
Furua feruet teda sulphure.
Et sonanti torta dirum
Flagra plumbo pectus efferant:
Styge rupta pete terras,
Et ad Arcton celer alta
Niue tectos pete campos:
Per & Vrbes, per & agros
Vome tabem, vome virus,
Lue fontes, lue fruges
Fera tangens, nigra tingens

Gelidas Poloniæ plagas intelligit ad Septentrionem. Semina discordiarum innuit, & defectiones à Rege Principum Polonorũ.

Scre

Sere luctum, sere lethum:
Age pictos, age profer
Furiali nece vultus,
I per Polonos, i, cie tumultus:

Ch.Har. Nocte profunda, nocte maligna
Excita stygiis turba cauernis,
Murmure, fremitu percita serimus
Virus in Vrbes, virus in agros.
Tumido trifidas gutture linguas
Auido vibrant dente cerastæ;
Iam furiis ardent per Lechica Regna Dynastæ.

1. ex ch.Har. Nunc ab vmbris, nunc in arua,
Nunc in Vrbes i, Suece;
Turbulenta perge larua,
Lechidasque sparge nece.

3. ex ch.Har. Tolle prompti signa Martis,
Martiasque coge turmas.
Prome vires, ense ferue;
Cocyti tibi militant cateruæ.

Sap.& ch. QVanto Sueci fert celer impetu
Sap. Miles Tyranni prælia Sarmatis!
Torrente Gustaui quot vno
Cum populis rapiuntur Vrbes!
Freta insolentis, fultaque prospero
Insultat hostis Marte ferocia:
Illumque successu superbum
Sarmatici faciunt tumultus.

Carolus Gustauus Sueciæ Rex, sub initia capessiti à Casimiro Regni, armorum torrente Poloniã ferè totam occupat; destituentibus Regẽ Polonis Dynastis.

Heù! pœnitendo signa quid optimi
Regis, Poloni, linquitis exitu?
Discetis experti, superbi
Quanta furor moueat Tyranni.
Torquere spretis sceptra fauentibus
Volet Dynastis: Nec generositas
Quàm fortis accendat calente
Sarmatiam reputabit igne.
Maiore sed quos voluere turbine
Decreuit vltor Numen ab æthere,

Idem mox aduersa fortuna, Magnates Polonos fautores suos asperè, cõtumeliosèq; accipit, ab iisque deseritur.

 Effert

Effert in altum, clarâ vt omnes
Admoneat populos ruinâ.
Intemperanti gaudia pectore
Longum bibisti, cladibus ebrie

Accepta clade Gustauus mœrore consũptus occumbit.

Gustaue; mergeris profundæ
Mœstitiæ temulentus haustu.
Quantoque, dices, voluor ab Imperi
Ad ima pulsus culmine! Sarmatas
Adiunxeram nuper Suecis,
Romulidâ metuente nostros
Procul triumphos. Nunc leuis orbitam
Fortuna vertit: funus anhelitu
Instat supremo: cum cadente
Destituo mea Regna vita,

Ragocius Trãsyluaniæ Princeps, turbatis per Suecum in Polonia rebus, tres *Polonici* Regni Prouincias inuadit, & occupat.

Ad hæc an aures dicta Ragocius,
Luctusque tristes perfidus arrigit?
Exempla & illum par nefanda
Exitus excipiet secutum,
Quantoque densum pertulit impetu
Per Regna præceps Lechica militem,
Velox patentes occupare
Sarmatiæ trepidantis Vrbes;

Illum Casimirus tanta affecit clade, vt nec vnus ex Ragocianis euaserit, qui eius internecionis nuncium afferre potuerit.

Tanto repulsum turbine Sarmata
Acer cruentis cladibus obruet:
Suprema vt viuus nec superstit
Funera qui referat suorum.

Cosaci refractarij cum possent à Casimiro funditùs excindi, data euadendi venia, suas in partes à Rege pertracti sunt.

Num Roxolani talia velites
Ad acta mentem flectere discitis
Cum fronte contumacem, & arma
Lechiacis sociatis armis?
Cum gente vestrum funditus eruta
In Orbe nomen si minus excidit,
Donauit hoc, qui frangit iram
In mediis CASIMIRVS armis.

Coniuratos in Remp. exercitus, qui suam

Et vos, Poloni dissona milites
Qui castra Regis seditionibus
Miscetis vltrò, tamque fœda

Fœ-

Fœdera vincula nempe sancta
Ausu profano dicitis, impios
Præsente cauti iam reprehendite
Frœno furores: Instat vltor
Fulmineo CASIMIRVS ense.
Fauoris idem prostat amantibus
Benignus vlnis: parcere promptior
Culpam perosis, quàm ruenti
Excidio glomerare sontes.

conspiratione Vinculi Sancti nomine appellabant, Casimirus armis paratus vlcisci, deposita contumacia resipiscentes absoluit.

P. ex ch. Sap. Nunc in angues, nunc in hydras
Hæresumque, criminumque
Sume tela, CASIMIRE,
CASIMIRE funde flammas.
Iam præstò sunt arma;
Pro telo Deus est, Cælum pro parma.

Chor. Sap. Age, sume CASIMIRE,
Crisp. fulcum sume telum:
Iusta forti præbet iræ
Arma. Numen, arma Cælum.

2. ex Ch. Sap. Iam criminum muta
Conticuit vox:
Et vmbris exuta
Stat Erebi nox.

3. ex Ch. Sap. Nunc Hæresis dolet
Cruentos ad ictus:
Rex armis inuictus
Triumphat in Sole.

Sap. & Ch. Sap. Tuba cane, cane tuba,
Aere canoro, murmure claro,
Poloni dic triumphum,
Dic Iosue victoriam,
Longoque ad astra fer canore gloriam.
Cane tuba, tuba sona,
Et CASIMIRVM gloria corona.

PO-

POLONVS IOSVE
FIDEI FVLMINE
MEHEMETICAM SVPERSTITIONEM EVERTIT.



MELOS SECVNDVM.

Perfidia : Fides.

Chorus Perfidiæ : Chorus Fidei.



Perfi-dia. SPargere perfidiam terris molitur Auernus;
Radices vulsâ figet in Orbe Fide.
Parate campos: arate prædia:
Fauete, Diræ, fouete semina;
Sit Orci vbique terror;
Fidem reuellat, & triumphet error.

Symbolica Theologicarũ Thesium figura Fidem repræsentat gemino fulmine in Superstitionem armatam.

Fides. Fulmineas ardens iras concepit Olympus;
Debita Cocyto funera partus erunt.
Sonate nymbi, tonate nubila:
Stridete venti, candete fulmina:
Fuge Sol, abite stellæ;
Portenta Ditis obruant procellæ.
Ch. Perf. Explicatis ite signis,
Duplicatis ite flagris,
Ditis vmbræ de malignis
Ferte Mundo semen agris.
Telluris huic vber
Aspirat, & flamen:
Procerum, & vber
Proueniet gramen.
Has hominum mentes
Expectant sementes;
Et fallere doctę,

Et

Et falsi sunt pronæ;
Huc Orci de nocte,
Error, semina funde, & hìc spem pone.

Ch.Fidei. CASIMIRE, quanta, vides,
Scandis altâ laude culmina?
Tua calet manu Fides,
Et coruscat mille fulmina.
I laudis æternæ,
I Cœli secure,
Perfidiam sterne,
Errores adure.
Et fraudes, & doli,
Et crimina soli
Cocytios largè
Progerminent fructus;
Tu fulmina sparge,
Vanescet Orci spes, metetque luctus.

Ch:Pers. Nunc turbinet vittas
Gelonus & Thrax,
Iungatque sagittas
Barbarica pax.
Fauente Memete,
Pro Dite pugnent Bistones, & Getæ.

Turcæ cũ Tartaris in Polonos coniunctis viribus sæpè conspirant.

Ch:Fid. Insurgat pro Fide
Lechiadûm Rex,
Huic cedet Alcidæ
Perfidiæ grex:
Ad Sarmatæ faces
Scythæ perusti concident, & Thraces.

Vtrosque Poloni sæpius magnis cladibus affecere.

Fides. CErnis, effusis CASIMIRE, turmis
Complet vt Lechi Scytha densus arua?
Rura quàm præceps rapit, & colonis
Exuit agros?
Induunt strictis manicas lacertis,
Instar & tracti pecudum, gregatim
Ire venales potuere læto
Thrace Poloni.

Tartarorũ frequentes sunt in Poloniam excursiones, ex quibus luctuosissima damna Polonis eueniunt.

Et

Et tori turpes (pudor heù !) Getarum
Lechidûm claris caluere nuptis.
Et popæ cultros Dacici imbuere
Sanguine Mystæ.
Certa latronem, stabilisque sede
Non tenet longâ statio Gelonum:
Auehit secum sua furta ; secum
Tectaque portat.
Ille prædari celeres equorum
Edocet turmas : docilis voraci
Cornipes morsu viduata carpit
Gramina campis.
Furis in rapto Scythici stat æuô
Census à prisco : vaga turba gaudet
Mortibus ; mixto bibit, & calentem
Lacte cruorem.
Sed nec oblitus, nec auarus hosti
Funerum largo, CASIMIRE, grates
Reddis : ò quanto numerant Geloni
Fœnore clades !
Trunca per tectos iacuere campos
Membra : fumarunt Iouis arua nigrâ
Cæde : mutato grauis vnda fluxit
Decolor amne.
Nec fugam vasto rapuisse cursu
Lustra per iuuit, nemorumque saltus,
Ora nec torui miniasse fuco
Picta furoris.
Cladibus latè domitus resedit
Impetus diræ, rabiesque gentis :
Et genu, & voto Scytha depoposcit
Supplice Pacem.
Cinge victrici, CASIMIRE, frontem
Inclytam lauro : Tua maior hostis
Terror Europæ solymæus horret
Arma Tyrannus.
Scilicet pacem meminit redemptam

Con-

Lechidæ, seù Lechiadæ dicti sunt Poloni à Lecho gentis conditore.

Geloni, Scythæ, Daci, Getæ pro Tartaris vsurpantur, qui vagi sunt, domosq; circumferunt. Quorum equi in hostium agros immissi, eorum pabula omnia extemplò incredibili voracitate consumunt.

Gens eadem rapto viuit: crudelissima est: & potu lactis mixti sãguine delectatur.

Huic genti plurimas, ingẽtesque clades Casimirus dedit.

Natiuam oris feritatẽ, adiecta colorum barbarie efferare Tartari consueuerunt.

Domiti fœdus cum Casimiro percutiunt.

Turcarum Tyrannus Polonorum arma veretur.

Cladium, quas à Polonis ac-

Concanis multo tepidam cruore:
Rapta disperſis meminit, doletque
Signa Corallis.
Et Daæ menti pauidi recurrunt,
Et fugâ Parthi, Cilicesque turpi
Arua disiecti per aperta, fuſo &
Agmine Seres.
Beſſus, & quamquam numeroſiore
Spargeret campos acie Polonis,
Plena damarum metuunt vt vnum armenta Leonem;
Non ſecus Thracum nece Lechus arua
Strauit accenſa metuendus ira:
Oſſa congeſto tumulata ſeruat
Monte Chocimum.
Et Tyras læto, Danaperque fluctu
Alluunt tantæ monumenta cladis:
Spargit hæc Thracum memor, admonetque
Fama nepotes.
Sarmatas Biſton caue ne laceſſas,
Ignis & plenos cineres volutes:
Lechicis flammis tua ſuſcitatis
Funera tractas.
Captus intentas Othomannus aures
Arrigit dictis, memorique prudens
Vera teſtatæ documenta famæ
Pectore ſeruat.
Inde ſuſpectas ſibi quas Polonus
Vidit extructas ſua propter arua,
Funditus verſas, patiente Thraca,
Diruit Vrbes.
Arrogans hinc Iſmaridûm Tyrannus
Orat optatam, renouatque pacem:
Tu, ſed æterno, CASIMIRE, dona
Funere Thracas.
P. ex Ch: Fid. Euge fortis, euge felix,
Macte Ioſue Polone:

Bar-

çeperunt, viua, recensq. ſemper eſt apud Turcas memoria.

Triginta Turcarum millia apud Chocimũ cæſa, & tumulata ſunt: cuius fluuij ſunt Tyras, & Danaper.

Caſimirus geminas Vrbes à Turca propè Coſacorum fines extructas dirui iubet, patiente, ac diſſimulante Othomanno, Turcarum Tyrannus ſæpiùs ad Poloniæ Regem mittit, vt fœdera pacis renouet, & cõfirmet.

Barbarosque, perfidosque,
Bistonasque, Tartarosque
Fidei vindex, vltor Olympi,
Igne trisulco victor adure:
Armare flamma te Cæli sunt curæ.

Fid. & Ch. Fid. Tabida flamina, turbida flumina,
Rauca tonitrua, tetrica nubila,
Horrida fulgura, torrida fulmina,
Rubete, flagrate,
Stridete, sonate,
Fuge Sol, abite Stellæ,
Portenta Ditis obruant procellæ.



POLONVS IOSVE
DIVINAE SAPIENTIAE GLADIO
SCHISMATICAM PRAVITATEM OBTRVNCAT.



MELOS TERTIVM.

Sapientia : Schisma.

Chorus Sapientiæ : Chorus Schismatis.



Sap. & Chor. CEdite campis, cedite villis,
Sap. Cedite lustris, cedite syluis:
Caueis, domibus, turribus, arcibus,
Viribus, ausibus, artibus, astibus,
Rapidi, celeres, agmine propero,
Pauidi, trepidi, pede præcipiti;
Cedite Moschi, cedite, cedite.
Sch. & Chor. Sch. Vnde terris, vnde Cælo,
Vnde parte nunc ab omni,
Equitatu, peditatu,
Fulgurante, fulminante,
Ensibusque, glandibusque,
Frameisque, lanceisque
Terror instat, instat horror,
Funus instat Moschuæ?
Sap. Fortia fulmineus surgit CASIMIRVS in arma,
Stricta necem Moschis hostibus arma dabunt.
Schis. Sarmatiæ dudum Moschi constrauimus arma;
Et nunc Sarmatici spernimus arma Ducis.
Sap. Insana dudum fauit inertibus
Fortuna Moschis: nunc Sapiens adest
Virtus Polonis, & sequentis
Arma trahit, labarumque fortis.

Theologicarũ Thesium pictura explicatior Diuinā Sapientiam exprimit, quæ stricto, elatoque gladio aduerso Schismati vulnus intendit.

Ch.

Ch. Sap. Classica claro tympana rauco
Clangite sonitu, murmure fremite.
Sap. Ite Moschuæ fugaces
Bella ferte per cohortes:
Ite Sarmatæ sequaces
Fata ferte, ferte mortes.
Morte dira, Marte cœco,
Stratos ab antris lacrymetur Echo.
P. ex Ch. Sch. Moschorum ab arce
Ferales, ò Parcæ
Auertite colum,
Propellite fusum:
Et Moschuæ fusum
Tot cladibus solum
Tristi vultu videte:
Dolete cæsos Moschuos, dolete.
Echo: Dolete, dolete.
2. ex Ch. Sch: Vos campi, vos montes
Vos queruli fontes,
Vos pigræ paludes
Ad funerum fructus
Querelas, & luctus
Adeste non rudes:
Este Manibus gratæ,
Plorate cæsos Moschuos, plorate.
Echo: Plorate, plorate.
3. ex Ch. Sch. Per iuga, per valles,
Per inuios calles,
Frementes insanùm
Barbaricos fastus,
Lugete nunc pastus
Volucrum, & canum.
Vmbræ mortis quietæ,
Lugete cæsos Moschuos, lugete.
Echo: Lugete, lugete.

Casimirus in magnum Moschouiæ Duce

Sap. AT vos à domitæ fumite Moschuæ
Questuque, & lacrymis gaudia, Sarmatæ.
Maio-

Maiori premitur, quàm prius obtuit
Moſchus clade Poloniam.
Non, ſi cum furiis barbarus intulit
Raptor tergeminæ prælia Ruſsiæ,
Tractusque, & populos in ſua nomina
Tranſcripſit Lithuanicos,
Sortis nunc etiam ludere dexteræ
Perdurat ſimilem, gaudet & aleam.
Talis intulerat quæ modò proſperis,
Nunc verſa vice diffluunt.
Quanto Sarmatiæ texerat effera
Campos Oceano Moſchua militum!
Roxani ſocio fœdere velitis
Quæ ferri ſeges horrida
Inſtabat iugulis vndique Lechicis?
Inſanos calidi Martis ad impetus
Agros exitium, ruraque traxerat:
Fors auſus iuuat improbos.
Nec iam terrigenis, nec ſcelus hoſticum
Parcebat Superis: Sacra, profanaque
Et vis, & rabidi militis omnia
Cœcus miſcuit impetus.
Heù! quid ſtrata vacat flere mapalia?
Incenſas ſegetes, & ſata perdita?
Abductosque greges, & pecudum vice
Paſtorum data guttura
Cultris barbaricæ cæde litantibus?
Myſtarum necibus fundere lacrymas
Iuſtas Relligio, & Cælicolûm iubet
Pollutis penetralibus.
His fretus meritis an tumor arrogans
Moſchi, poſt domitam clade Poloniam,
In terras alias, Regnaque marcidas
Spes erexerat Imperi?
Sed, quod Lechiadûm iam ſolio potens,
Nunc mixtus Superis, viſus ab æthere
Moſchum militiæ commonuit Ducem,

acceptas ab ipſo clades luculentiùs multò refudit. Moſchus Lithuaniæ Ducatum, & tres Ruſsias inuectis armis ſibi ſubiecerat.

Adiunctis ſibi Coſacis, Poloniam, innumero milite Moſchus obruerat,
Indè funeſtiſſimæ vaſtationes, & clades, nō hominibus, & humanis, nō diuis, diuiniſque parcentes,

Magni Moſchorum Ducis ſuperbia, ex quadam prædictione vaniſsima ſuū ſperat Imperium in alia Regna plurima propagatū iri. S. Caſimirus Poloniæ Rex ſummo militiæ Moſchæ Duci ap-

Va-

parens, illi cladem eo bello comminatus est.

Vana an somnia credidit,
Spargendumque notis omen inanibus?
I, cladem referes, Mosche ferox, ait.
Mentir. Superos te tua nescios
Clades, barbare, iam docet.

Euentus deinde prædictionis veritatem indubiam cōprobauit.

Exin præcipiti te trahit impetu:
Vrgetque excidium: non secus ac feri
Cum vis corripuit pasta medullitùs
Morbi viscera pestilens.

Moschi Polonorum metu perculsi, ab ijs vltrò sæuissima omnia patiuntur.

Tu tergo, & iugulo; pectore Sarmatæ
Certant, & gladio: strata cadauera
Moschorum cohibent, ne tibi Lechidæ
Omnem præripiant fugam.

Iidē, vt se imminentibus Polonis eriperēt, in aquas se se præcipites non semel egerunt.

Obiectis trepidi sed quid agant aquis
Moschi, quas fluuijs, quasque paludibus
Illic præcipites, hic malè desides
Ereptâ inueniunt viâ?
Præuertunt liquido vulnera funere,
Et potis animam fluctibus euomunt.
Insanis stat aquis antè, sequacibus
Quâm se credere Sarmatis.

Boristhenes, Volga, & Duna fluuii sunt, in quos se se Moschi præcipitarunt.

Hæsit præcipitis lympha Boristhenis;
Cursu Volga celer, Dunaque substitit,
Mortem nempe suo gurgite nescij,
Cur tot corpora quærerent.
Quis tàm fulmineo Marte Poloniam
Vltricem referat? cladibus obrutam
Quæ tantis poterit credere Moschuam
Saluâ posteritas fide?

Denique Magnus Moschouiæ Dux pacē à Poloniæ Rege flagitare cōpellitur.

Vastos è tumido pectore barbarus
Moschorum dominus qui modo spiritus
Proflabat, domitus nunc prece Sarmatas
Pacem supplice flagitat.
Io: Lechiadûm vota fauentibus,
CASIMIRE, Deus nutibus audiit:
Et præstans meritis audiit æthera
Quid virtus tua postulet.

Sen-

Senſu magnanimi ſimplice pectoris
Te vidit duplici ſortis in alea.
Nec Fors dira tuæ caſibus aſperis
Vim fregit patientiæ.
Flagris inſonuit ? Tu pia Numinis
Libabas venerans oſcula dexteræ
Armatæ: nigra poſt tempora candidum
Sperans longanimis diem.

Caſimirus in vtraque fortunæ alea ſemper virtuti conſtās, & ſibi.
Solitus inter aduerſa dicere. *Fiat voluntas Dei; qui contriſtat hodiè, cōſolabitur cras.*

Lætis annuerat ? non tumor impotens
In mores animum propulit improbos.
Mens magnâ tenuis ſorte fit inſolens:
Et frondes Notus excutit.
At tu lætitiæ flumina torridæ
Aequati cohibes pectoris alueo:
Et, quæ plus ſolito læta ſuperfluunt,
Cæli munera prædicas.
Teſtes attonitis lucibus incolæ
Fixi Varſauia, compita cum Deus
Luſtraret Cereris nube ſub albida
Ciues, tectaque ſoſpitans:
Captis perfidiæ tù modò ſemitas
Interni labaris, & fora iuſſeras,
Antiſtes premeret quæ pede candido,
Vector ſidereæ dapis.
Tu dein obſequio ſupplice præuii,
Casimiri, ſequens fercula Numinis,
Vexilla haud pateris ſtrata ſuper pius
Plantas figere Regias.
Et, Victoris, ais, Numinis hoſticæ
Hæ ſunt exuuiæ: perdomitam Deus
Calcet perfidiam: Sat mihi Numen eſt
Nudo vertice proſequi.

*V*arſauiæ in ſolemni Sanctiſsimæ Euchariſtiæ ſupplicatione plura centena capta *M*oſchis vexilla ſubſterni pedibus Antiſtitis diuinā frugem ferētis Caſimirus iuſſit: quæ ipſe ſubſequens calcare noluit: Eā aiens *V*ictoriā *D*ei fuiſſe: à Dei proinde Ferculo, non à ſe calcanda eſſe vexilla.

O digne, ætherij picta palatij
Calces qui dominis ſidera greſsibus!
Calcabisque ſuo tempore: ſed Poli
Hoſtes nunc prius obtere.
Hoc eſt nempè domos ſcandere Cælitum

Pulchro Christiadûm tramite Principum:
Per rubram scelerum cæde Galaxiam
Diuûm cœtibus inseri.

Ch.Sap: Classica claro, tympana rauco
Clangite sonitu, murmure fremite.

Sap. Tuba læta da canorem
CASIMIRO vectigalem:
Lechidûmque tolle honorem,
Tolle ad astra Martialem.
CASIMIRVM cane præco,
Collibus plausum geminabit Echo.

P. ex Ch.Sap. Frondete nunc montes,
Vndate nunc fontes,
Vos candidi flores,
Vos rosæ decentes,
Iucundos odores,
Semperque recentes
Iugi vere fouete,
Et CASIMIRI plausibus fauete.
Echo: Fauete, fauete.

2. ex Ch.Sap. Per iuga, per valles,
Per floridos calles,
Lechiadûm fortes
Nunc personent ausus,
Martisque cohortes
Ingeminent plausus.
Tuba triumphum sona,
Et CASIMIRVM gloria Corona.
Echo: Corona, corona.

3. Ex Ch.Sap. Tonantis è castris,
Stipantibus astris,
Gemmante decori,
Fulgentes in veste,
Cælicolûm chori
Frequentes adeste:
Cęlo dignum donate,
Et CASIMIRVM Cęlites beate.
Echo: Beate, beate.

PLAV-

PLAVSVS

IN CORONAM LAVREÆ DOCTORALIS.



MELOS QVARTVM.

Chorus Plaudentium.



Ch.Plaud. Claſsica claro, Tympana rauco
Clangite ſonitu, murmure fremite,
Tuba Lubinium ſona,
Et CASIMIRVM gloria corona.
Cane tuba, tuba cane:
Poloni dic triumphum,
Dic Ioſue victoriam,
Longoque ad aſtra fer canore gloriam.
Lubinium coronate,
Et CASIMIRVM Cælites beate.



